



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Quæst. 6. De Divisionibus & causalitate scientiæ divinæ, & ideis divinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Q U Æ S T I O VI.

*De divisionibus & causalitate scientiæ divinæ,
& idem divinis.*

A R T I C U L U S I.

Quoruplex sit scientia divinæ.

Resp. Scientia divinæ, quæ est realiter unica, cum sit ipsa substantia divinæ tali modo per se ipsam se habens; multiplex est virtualiter, quatenus æquivalens, seclusis imperfectionibus, multis scientiis seu cognitionibus realiter ab invicem distinctis. Unde soler à Theologis per conceptus inadæquatos in plures scientias seu cognitiones extrinsecè dividi, ut jam ostenditur inductione.

1. Itaque scientia divinæ ratione objecti alia est circa Deum, alia circa creatura possibilia, alia circa creatura existentia, præterita, & futura, alia circa creatura futuribilia. Item alia circa entia, alia circa non entia, alia circa bona & mala, alia circa finita & infinita. Hinc

2. Scientia divinæ dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam visionis, & scientiam mediæ. Scientia visionis est ea, qua Deus cognoscit se ipsum, & alia omnia, quæ in aliqua temporis differentia existunt, & quidem quæ talia. Unde scientia visionis est partim contingens, & partim absolute necessaria; est absolute necessaria quia scientia Dei existentis; est contingens, quia scientia creaturarum existentium. Scientia simplicis intelligentiæ est ea, qua Deus cognoscit ea quæ nunquam existunt, quamvis possent existere; & ea quæ aliquando existunt, sed præcisè ut possibilia sunt; item ea, quæ, posita aliqua conditione, necessario existerent, sive re ipsa aliquando existant, quia poneretur conditio, sive nunquam existant, quia nunquam ponetur conditio.

Scientia mediæ est ea, qua Deus cognoscit actus, qui posita aliqua conditione ad rem pertinente, libere fierent, sive re ipsa aliquando fiant, sive non. Talis est v. gr. scientia, qua Deus independenter ab omni decreto actuali cognoscit, quod si Petrus tali illustratione illuminaretur, & tali inspiratione tangeretur & confortaretur, magnæ humilitatis penitentiam ageret, abstrahendo ab hoc quod re ipsa penitentiam acturus sit, vel non. Hæc autem scientia dicitur mediæ, quia medium quendam locum inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis tenet per participationem simpli & exclusionem utriusque: nam est independentes ab omni decreto exercito sicut simplex intelligentia, & contingens sicut scientia visionis. Item non est absolute necessaria sicut simplex intelligentia, nec libera Deo sicut scientia visionis, quæ versatur circa existentia creata. Item est prior in subsistendi consequentia, quam scientia visionis: valet enim à scientia visionis ad scientiam mediæ, sed non vicissim, quia quicquid futurum est, futuribile est; at non quicquid futuribile est, futurum est: est verò posterior in subsistendi consequentia, quam scientia simplicis intelligentiæ: valet enim à scientia mediæ ad scientiam simplicis intelligentiæ, sed non vicissim, quia omne futuribile est possibile, at non omne possibile est futuribile.

3. Scientia Dei alia est abstractiva, & alia intuitiva. Abstractiva est ea, qua res, sive existant, sive non, cognoscuntur à Deo vel ut possibiles, vel ut futuribiles præcisè: tales sunt scientia simplicis intelligentiæ, & scientia mediæ. Scientia intuitiva, qualis est sola scientia visionis, est ea, qua res existentes cognoscuntur à Deo ut existentes, hoc est, secundum existentiam ut actualem & exercitam pro omni tempore pro quo talis est, sive res illæ sint præsentis cognitioni divinæ secundum actualem & exercitam existentiam in tota æternitate, ut Deus, sive in aliqua tantum differentia temporis, ut res omnes creatæ.

Nota. Scientia Dei intuitiva, quæ est rerum creaturarum aliquando existentium, diversas denominationes

& diversa nomina sortitur. Nam dicitur & est præscientia, quando res creata nondum existit; dicitur & est visio, quando & quando res existit: denique dicitur & est memoria, postquam res desit existere. Unde in Deo præscientia, visio, & memoria sunt unus & idem realiter actus, quo Deus ab æterno & pro æterno infinita claritate & certitudine attingit existentiam creaturæ ut actualem & exercitam pro tali differentia temporis: hoc ipso enim Deus infinita claritate & certitudine ab æterno & pro æterno cognoscit etiam creaturam ut futuram pro tempore anteriore, & ut præteritam pro subsequente; proindeque uno & eodem realiter actu ab æterno & pro æterno infinita claritate & certitudine cognoscit creaturam ut futuram pro eo tempore pro quo futura est, ut præsentem pro eo tempore pro quo præsens est, ut præteritam pro eo tempore pro quo præterita est, & hoc pacto Deus absque ulla multiplicitate reali aut successione actuum suorum præscit, videt, & meminit, quia præscit, videt & meminit uno & eodem realiter actu, ab æterno & pro æterno invariabiliter existente, & ita, seclusis imperfectionibus, æquivalente pluribus realiter & successivis actibus, quorum uno rem antequam sit, prænosces ut futuram; altero rem, cum iam est, intuemur ut præsentem; tertio rem, quando non est amplius, recordamur ut præteritam. Unde cum fundamento in re actum illum divinum logicè dividimus in totidem actus, quorum uno Deus rem primum præscit ut futuram, altero deinde intuetur ut præsentem, tertio denique recordatur ut præteritam, nullam tamen in Deo successione actuum fingendo; tota enim successio se tenet ex parte creaturæ, quæ pro uno tempore nondum existit, pro alio deinde existit, pro alio denique desinit existere.

4. Scientia Dei alia est absolute necessaria, alia necessaria, non absolute, sed tantum ex aliqua hypothese, quæ sic est, ut possit non esse: unde hæc scientia simpliciter contingens dici debet. Scientia absolute necessaria est ea, quæ absolute non potest non esse in Deo, quia est de objecto necessario, ut de essentia divinæ, de personis divinis, de possibilibus ut sic. Scientia verò hypotheticè tantum necessaria est ea, quæ absolute potest non esse, quia est de objecto contingenti, ut de actibus liberis divinæ voluntatis, de futuritione creaturarum, de earumdem actuali existentia & præteritione, de contingenter & libere futuribilibus: cum enim hæc omnia possint absolute non esse, possunt absolute non sciri à Deo: nam si non essent, nec scirentur, nec possent sciri à Deo, non propter defectum aliquem intellectus divini, sed quia non essent scibilia. Unde quod eorum scientia sit contingens in Deo, non Deo, sed ipsis tribuendum est, quia divinus intellectus ex intrinseca & essentiali perfectione summè completus & determinatus est ad sciendum omne scibile, hoc ipso quod scibile est, & ita res illæ non sciuntur contingenter à Deo, nisi quia non sunt nisi contingenter scibiles.

5. Scientia Dei alia est approbationis, alia reprobationis. Scientia approbationis est illa, qua Deus cognoscit ea, quæ ipsi placent. Unde hæc scientia dicitur in recto actum intellectus divini, quo Deus cognoscit, & in obliquo actum voluntatis divinæ, quo Deus sibi complacet in eo, quod cognoscit. Scientia reprobationis est ea, qua Deus cognoscit ea, quæ ipsi displicent. Unde hæc scientia duos dicit actus, unum in recto, nempe actum intellectus divini cognoscentis, alterum in obliquo, nempe actum voluntatis divinæ, odio prosequentis id quod cognoscitur. Non raro autem Deus in Scripturis dicitur ignorare ea, quæ cognoscit per scientiam reprobationis, juxta illud Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum*; & illud Matth. cap. 25. *Amen dico vobis: nescio vos*. Non quod nescit illa, sed quia non scit cum complacentia, seu quia non scit, nisi cum displicentia.

6. Denique scientia Dei alia est practica, & alia speculativa. Scientia speculativa est ea, quæ aut est de objecto non operabili, ut cognitio qua Deus se ipsum cognoscit, aut de objecto operabili, sed non quæ opera-

operabile est, ut cognitio qua Deus cognoscit, quid sit aut qualis sit res creata. Scientia practica est ea, quæ est de objecto operabili, quæ operabile est, præscribendo quid aut quomodo operandum sit. Hæc autem scientia dicitur causa rerum, non quod sit principium adequatum productionis earum, sed quia præluet voluntati divinæ applicanti potentiam executivam, ipsamque potentiam executivam dirigit. Sed ut plenius quæ ad scientiam Dei practicam pertinent, prosequamur, sit

ARTICULUS II.

Quamvis scientia in Deo sit causa rerum, dirigendo scilicet omnipotentiam divinam ad extra operantem.

RESPONSIO I.

Scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum.

Prob. Ars divina est causa rerum. Atqui scientia simplicis intelligentiæ est ars divina. Ergo scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum. Major patet. Nam Deus non operatur ad extra, nisi per modum perfectissimi artificis, & consequenter nihil operatur ad extra, nisi ex directione artis perfectissimæ, quæ proinde est in Deo causa directiva eorum omnium, quæ Deus ad extra operatur. *Prob. ergo min.* Ars divina est actus, quo Deus ratione prius, quam velit aliquid operari ad extra, sibi repræsentat exemplaria omnia, ad quorum imitationem potest ad extra operari. Atqui actus ille est simplicis intelligentiæ, seu pertinet ad simplicem intelligentiam: ad quam enim aliam scientiam pertineret? Et verò pertinet ad scientiam absolute necessariam, & independentem ab omni decreto actuali, quæ scientia certè non est alia, quam scientia simplicis intelligentiæ.

RESPONSIO II.

Sola scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum, directiva scilicet omnipotentiam ad extra operantis.

Prob. Nam si quæ alia scientia in Deo est causa rerum, certè scientia visionis, ut volunt recentiores Thomistæ, docentes in Deo scientiam simplicis intelligentiæ esse quidem causam rerum, sed remotè tantum, nempe dirigendo; scientiam verò visionis esse causam rerum proximam, earum existentiam efficaciter imperando: nam in Deo post decretum producendi rem aliquam, ponunt imperium quoddam intellectuale, ex quo immediate sequitur rei producendæ existentia pro eo tempore, pro quo imperatur, juxta illud Psal. 148. *Dixit, & facta sunt: mandavit, & creata sunt.* Hoc autem intellectuale imperium volunt esse scientiam visionis, quia terminatur ad existentiam rerum ut actualem & exercitam pro eo tempore, pro quo imperatur, ut sit. Atqui hæc doctrina non est probabilis, nec ullo modo scientia visionis dici potest causa rerum, quas Deus operatur ad extra. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. imperium illud rationis, ratione posterius, quam decretum efficax producendi res, & quod ad scientiam visionis pertinere dicunt Thomistæ, planè superfluum est, & gratis confictum. Quasi verò decretum efficax producendi rem aliquam, non sufficiat, vel ut hoc ipso res illa sit pro eo tempore, pro quo Deus vult illam esse, vel saltem ad applicandam potentiam executivam; aut Deus, posito efficaci decreto producendi rem aliquam, aliquam in executione difficultatem pati possit, quæ aliter superari non possit, quam per illud imperium rationis subsequens. 2. Scientia visionis est ea, qua Deus cognoscit existentiam rerum ut actualement & exercitam pro eo tempore, pro quo talis est. Ergo scientia visionis est ea, qua Deus cognoscit existentiam rerum ut causatam pro eo tempore, pro quo est causata, seu posita extra causas. Ergo scientia visionis ratione posterior est, quam existentia rerum, ut causata pro ea temporis differentia, pro qua res existunt.

Ergo à fortiori, ratione posterior est, quam causalitas, vi cuius res existunt, pro eo scilicet tempore, pro quo res existunt. Ergo scientia visionis nec est, nec potest esse causa rerum; alioqui causa potest esse posterior sua causalitate, eamque supponere. Quod est absurdum.

Obj. 1. Patres docent scientiam visionis esse causam rerum. Nam v.g. S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 13. sic loquitur: *Universas creaturas suas, & spirituales & corporales, non, quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit; non, quia creavit, scivit.* Ergo, &c. R. neg. ant. Ad 1. *prob.* R. S. Augustinum loqui de scientia, quæ antecedit decretum producendi creaturas, ut clarum est ex his verbis, *Non enim nescivit, quæ fuerat facturus*; qualis certè non est scientia visionis, sed scientia simplicis intelligentiæ. Loquitur ergo S. Doctor de scientia simplicis intelligentiæ, nec aliud intendit, quam ostendere, quantum scientia divina præster nostram, quæ res à Deo creatas non novit evidenter, nisi quia nobis præsentem sunt. At scientia divina etiam antequam essent, imò ratione prius, quam vellet Deus illas esse, illas infinita claritate & certitudine norat secundum omnes rationes & perfectiones suas, ita ut nihil claritatis & certitudinis scientiæ divinæ accesserit ex productione creaturarum, & earum reali cum Deo præsentia in tempore. Hinc nomine visionis Patres quandoque significant scientiam simplicis intelligentiæ, quia ratione suæ claritatis & certitudinis visioni æquivalens.

Obj. 2. Scientia Dei, quæ est causa rerum, debet esse libera. Atqui scientia simplicis intelligentiæ non est libera, sed absolute necessaria. Ergo, &c. R. dist. maj. Scientia Dei, quæ est causa rerum, debet esse libera in causando, C. maj. In essendo, N. maj. Scientia autem simplicis intelligentiæ non est quidem libera in essendo; cum absoluta necessitate existat: at est in causando; nam causas liberè, quatenus non causat, nisi per liberam voluntatis divinæ determinationem applicata ad dirigendam potentiam executivam, quo pacto, & non aliter, ipsa potentia executiva liberè causat.

Obj. 3. Scientia, qua Deus operatur ad extra, terminatur ad rem ut existentem pro eo tempore, pro quo re ipsa existit. Sed scientia simplicis intelligentiæ terminatur tantum ad rem ut possibilem. Ergo, &c. R. dist. maj. Scientia, qua Deus operatur ad extra, terminatur ad rem ut existentem, &c. tanquam causa ad effectum, ab ipsa directivè causatum, C. maj. Tanquam cognitio ad objectum ab ipsa sub ratione existentis repræsentatum, N. maj. Nam scientia, qua Deus operatur ad extra, non causat objectum suum, illud repræsentando ut actu existens, sed dirigendo potentiam executivam, & præscribendo modum, quo res fieri debet. *Ad min.* R. dist. similiter. Sed scientia simplicis intelligentiæ terminatur tantum ad rem ut possibilem, si per liberam voluntatis determinationem non applicetur ad dirigendam potentiam executivam, C. min. Unde tunc tantum est causa in actu primo, seu, quod idem est, tantum apta est ad causandum. Si per liberam voluntatis determinationem applicetur ad dirigendam potentiam executivam pro eo tempore, pro quo hæc potentia exequitur id, quod à Deo determinatum est, N. min. Tunc enim scientia simplicis intelligentiæ causat directivè rem pro eo tempore, pro quo res accipit esse, & ita terminatur ad rem ut existentem pro eo tempore, pro quo re ipsa existit; terminatur, inquam, tanquam causa ad effectum directivè ab ipsa causatum.

Obj. 4. Scientia divina pro eo instanti, quo causat objectum suum, contempletur illud ut actu existens. Ergo causat illud, contemplantum illud ut actu existens. R. neg. conseq. Nam scientia divina, quæ contempletur objectum suum ut actu existens, supponit illud jam à se causatum, quia supponit actualement illius existentiam, quam contempletur.

No. 1.

Nota. In eo instanti reali, pro quo scientia divina causat objectum suum, duo signa rationis distinguenda sunt, in quibus scientia divina objectum suum diversimodè repræsentat; nam in primo signo repræsentat illud ut potens existere; in secundo verò repræsentat illud ut actu existens. Sub prima ratione est scientia simplicis intelligentiæ, sub secunda est scientia visionis; sub prima ratione causat objectum suum, dirigendo potentiam executivam ad ejus effectum, sub secunda purè contemplatur illud ut causatum. Quamvis igitur scientia divina pro eodem illo instanti reali, pro quo causat objectum suum, sit non solum scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam visionis, quia non solum repræsentat illud ut potens existere, sed etiam ut actu existens; non tamen causat illud ut est scientia visionis, sed solum ut est scientia simplicis intelligentiæ.

Obj. ult. Ex S. Thomæ de veritate q. 2. art. 13. *Scientia Dei secundum quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantum est existentium in presenti, præterito vel futuro.* Ergo, ex S. Thomæ, scientia visionis, & quidem sola, est causa rerum. R. neg. conseq. Nam ibi S. Doctor dicit quidem scientiam divinam, quæ per liberam voluntatis determinationem applicata est ad causandum, & dirigendam potentiam executivam in suis operibus, monstrando illi modum ea faciendi, esse tantum de rebus aliquando existentibus, quod verum est; at non dicit scientiam divinam causare res aliquando existentes, repræsentando existentiam illarum ut actualement & exercitam, quod tamen requiritur ad scientiam visionis. Scientia igitur divina, ut est causa in actu secundo, hoc est, ut actu dirigens potentiam divinam, & ita directivè causans effectus Dei, non est nisi rerum aliquando existentium, ut per se manifestum est; non est tamen causa illarum, quæ contemplatur illas ut existentes, sed quæ præscribit modum quo fieri debent, ut existant, & ita non est causa illarum, quæ scientia visionis, sed quæ scientia simplicis intelligentiæ.

ARTICULUS III.

De Ideis divinis.

Nota. Idea strictè sumpta, & ut hic sumitur, rectè describi potest in genere. Forma existens in mente artificis, ad cuius imitationem artifex operatur. Unde ad ideam strictè sumptam requiritur, 1. Ut sit de re operabili, & modo illam operandi. 2. Ut re ipsa ab artifice ad opus ordinetur. Nam hæc duæ conditiones requiruntur ad rationem exemplaris, quæ ideam strictè sumptam constituit. Idea enim strictè sumpta, est exemplar rei faciendæ, ad quod respiciens artifex facit opus, quod intendit. Itaque si prima desit conditio, tunc forma rei, existens in mente artificis, nec est, nec potest esse idea propriè loquendo, quia nec est, nec potest esse exemplar. Si verò secunda tantum conditio desit, forma rei existens in mente artificis, non est quidem idea & exemplar, sed apta est ut sit, quod est illam esse ideam & exemplar in actu primo tantum; & tunc vocatur species, similitudo, & ratio, in qua ut objecto præcognito cognoscitur res, cuius est species, similitudo, & ratio.

Nota iterum. Idea duplex distinguitur, objectiva scilicet & formalis. Idea objectiva, quæ est simpliciter idea, est forma illa ad cuius imitationem artifex operatur, hoc est, exemplar ad quod artifex respicit, ut ei opus suum assimilet. Idea verò formalis, quæ non est nisi cum addito diminutive idea, est ipsa cognitio formæ seu exemplaris, quod artifex sibi in suo effectu exprimendum proponit. De objectiva autem, non de formali, hic agitur, & queritur, 1. Utrum in Deo locum habeat respectu rerum omnium ab ipso factibilium. 2. Utrum sit perfectio intrinseca Deo. 3. Utrum sit unica tantum, an verò multiplex. Quibus questionibus sequentibus responsionibus satisfacimus.

Datur in Deo idea objectiva rerum omnium ab ipso conditarum. Ita S. Thom. hic q. 15. art. 1. in O. post S. Augustinum lib. 83. qq. q. 46. & aliis locis.

Prob. Mundus factus est à Deo, ut agente modo perfectissimo, ac proinde ut agente per intellectum & voluntatem, hoc est, ut agente ex libera intentione faciendi opus, quod faciebat, & cum cognitione modi, quo faciendum erat, ac proinde cum cognitione formæ intelligibilis, cui assimilandum erat. Ergo necesse est ponere in mente divina formam, ad quam respiciens Deus, mundum & omnes ejus partes condidit. Ergo necesse est ponere in mente divina ideam objectivam rerum omnium ab ipso conditarum. Ita ratiocinatur S. Thomas loco citato, *Quia mundus, inquit, non est casu factus, sed est factus à Deo per intellectum agentem, necesse est, quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cuius, mundus est factus. Et in hoc consistit ratio idea.* Eodem modo ante S. Thomam ratiocinatus fuerat S. Augustinus loco citato, ubi hæc leguntur: *Quis religiosus & vera religione imbutus.... negare audeat, imò non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata... quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita.* Per rationem autem intelligit, ut patet ex contextu, formam in mente existentem, secundum quam formatur, hoc est, ad cuius similitudinem conditur opus ab opifice.

Confirm. Deus mundum condendo operatus est ut perfectissimus & sapientissimus artifex; mundum enim condendo, operatus est modo perfectissimo, nempe ut agens intellectivum & liberum. Ergo mundum condendo operatus est ad imitationem perfectissimi exemplaris in mente divina existentis: nam artifex in tantum operatur ut artifex, in quantum operatur secundum præconceptum exemplar operis, quod intendit facere, & faciendo assimilare exemplari præconcepto, quod in opere exprimendum sibi proposuit. Ergo re ipsa in mente divina existit exemplar, seu idea objectiva rerum omnium ab ipso conditarum.

RESPONSIO II.

Idea objectiva, quam habet Deus, rerum omnium à se conditarum, est perfectio Deo maxime intrinseca. Ita S. Thomas art. 2. in O.

Prob. Nam ideam illam est ipsissima essentia divina, & quæ est ipsa plenitudo essendi, seu omnium omnino perfectionum complexio, & quæ in se modo quodam excellenti continet omnes omnino perfectiones creaturarum. Nam sub primo respectu est veluti fons & radix omnis realitatis & entitatis, quia res in tantum participant de realitate & entitate, in quantum participant de illa plenitudine, & consequenter in quantum illam imitantur, seu, quod idem est, in quantum ad illius imitationem fiunt. Unde sequitur essentiam divinam, quæ participabilis & imitabilis est à creaturis, ad hoc aptissimam esse, ut modo quodam excellenti sit exemplar rerum omnium, quæ à Deo fieri possunt. Sub secundo verò respectu est perfectissima quædam imago rerum omnium à Deo creabilium, illarum perfectissime repræsentativa secundum naturam, proprietates omnes, & modum, quo fieri debent; & ita sub hoc respectu est Deo prima ratio cognoscendi res omnes creabiles secundum naturam, attributa omnia, & modum illas efficiendi. Unde sequitur essentiam divinam sub hoc respectu nihil deesse, ut sit Deo exemplar absolutissimum rerum omnium, quas facit.

Confirm. Quia 1. Deus est artifex perfectissimus, & ita operum, quæ facit, debet habere perfectissimum exemplar. 2. Deus est artifex planè independens in efficiendo à quocumque alio, & ita debet habere à se, & non

& non aliunde emendicare exemplar, ad cuius imitationem faciat, quæcumque facit. Atqui exemplar illud perfectissimum, nec aliunde emendicatum, ad quod Deus respicit operando ad extra, non potest aliud esse, quam ipsa essentia divina, quæ participabilis & imitabilis est à creaturis, aut quæ est Deo prima ratio cognoscendi modo perfectissimo creata omnia secundum naturam, proprietates, & modum ea faciendi. Ergo, &c. Minus igitur dignè de Deo sentit Durandus, cum docet ideas nihil aliud esse, quam essentias rerum possibilem in mente divina objectivè existentes.

RESPONSIO III.

Idea objectiva, quam habet Deus rerum à se conditarum, est unica & simplex realiter, sed virtualiter & logicè multiplex. Ita S. Thomas art. 2. in O.

Prima pars per se patet; cum idea illa nihil aliud sit, quam essentia divina v. g. quæ participabilis & imitabilis à creaturis. Secunda verò pars facillè ostenditur. Nam essentia divina, quæ participabilis & imitabilis à creaturis, vel, si vis, quæ Deo est prima ratio cognoscendi creaturas secundum naturam, proprietates & modum quo fieri debent, æquivaleret ideis realiter ab invicem distinctis, quarum una esset propria huius entis, altera istius, &c. Se ipsa enim modo quodam excellenti, & seclusis imperfectionibus, præstat in ratione exemplaris id, quod præstarent ideæ, realiter ab invicem distinctæ, & propriæ singulorum entium, quæ producuntur à Deo. Hinc cum fundamento in re logicè & per conceptus præcise dividitur in tot ideas rerum proprias, quot sunt in singulari opera à Deo condita. Hinc de ideis divinis loquuntur Patres in plurali numero, ut v. gr. S. Augustinus loco citato, ubi sic loquitur: *Sunt namque ideæ principales forme quadam, vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formate non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur, & cum ipsæ neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit.* Et inferius: *Restat ut omnia ratione sint condita: nec eadem ratione homo, quæ equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creaturarum rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris: non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constitueret: nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ omnia apertissime quadrant essentia divina, ut est ipsa plenitudo essendi, & perfectionum omnium complexio; in ea enim, quæ tali, Deus modo quodam eminenti habet ideas rerum omnium, quas facit, proprias, stabiles atque incommutabiles, quæ formate non sunt, ac per hoc æternas, & eodem semper modo sese habentes; quæ continentur in divina intelligentia non solum per representationem, sed per identitatem summam, & quarum participatione, ut ait paulò inferius S. Doctor, fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est. Unde Deus, cum mundum conderet, non extra se quidquam positum, sed se ipsum intuebatur, ut secundum hoc divinum atque perfectissimum exemplar constitueret quod constitueret.

Quæres, utrum Deus habeat in essentia sua ideas rerum omnium, quas cognoscit, etiam earum, quas non facit. R. breviter. Res illæ, quas cognoscit, sed nunquam facturus est, vel sunt ab illo factibiles, vel non. Si primum. Deus habet in essentia sua illarum ideas in actu primo, non in actu secundo, hoc est, essentia divina posset quidem esse illarum idea, non est tamen propriè loquendo, quia idea simpliciter & propriè loquendo, est actuale principium effectiōis pro aliqua differentia temporis. Si secundum. Habet tantum in essentia sua illarum rationem, quatenus essentia divina ut præcognita, est Deo ratio cognoscendi illas, aut aliquid aliud, in quo immediate cognosci debent. Quod addo propter negationes

& privationes, quæ immediatè cognoscuntur in positivo, cuius sunt negationes aut privationes, & cuius perfectissimam quandam similitudinem Deus habet in essentia sua. Vide S. Thomam hic art. 3.

XX

DISPUTATIO VI.

De Voluntate divina.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit voluntas, an libera sit, & circa qua.

RESPONSIO I.

Deus habet voluntatem.

Prob. Voluntas est facultas appetendi bonum & averfandi malum, intellectualiter cognitum. Atqui Deus tali facultate carere non potest: est enim perfectio melior ipsa, quam non ipsa, & eminentissimus vitæ gradus, quo proinde carere non potest ens, quo nihil melius esse vel cogitari potest. Ergo, &c. Deus autem habet voluntatem sine imperfectionibus, quibuscumque habent, aut habere dicuntur creaturæ intellectuales. Nam 1. Voluntas divina non distinguitur realiter ab actibus suis, aut à substantia divina; cum realis distinctio repugnet simplicitati divinæ. 2. Voluntas divina est essentialiter recta & impeccabilis. Sanctitas enim est perfectio simpliciter simplex, qua proinde Deus carere non potest. 3. Voluntas divina est planè immutabilis, ut patet ex dictis suo loco de immutabilitate divina.

RESPONSIO II.

Deus habet voluntatem & à coactione & à simplici necessitate immunem circa omnia, quæ operatur ad extra.

Prima pars, nempe quod Deus habet voluntatem immunem à coactione, &c. clara est. Nam coactio est violenta ad unum determinatio, causata ab agente extrinseco. At nullum est agens extrinsecum, à quo Deus pati violentiam possit. Prob. ergo 2. pars, nempe quod Deus habeat voluntatem immunem à simplici necessitate circa, &c. 1. ex Script. Nam Ephes. cap. 1. dicitur de Deo: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* 2. ex S. Ambrosio lib. 1. de fide cap. 2. ubi ait: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult... hoc est, pro libera voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Et ex S. Augustino lib. 22. de Civ. cap. ult. *Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium, inquit, habere negandus est?* 3. Ratione. Nam Deus agit ad extra modo perfectissimo. Ergo agit ad extra per intellectum & voluntatem. Ergo per voluntatem aut necessariò aut liberè volentem. Non per voluntatem necessariò volentem: cum enim sibi sit sufficientissimus, & ita nullo ex iis, quæ sunt extra se, indigeat ut sit aut bene sit, non potest velle necessariò quidquam ex iis, quæ sunt extra se. Ergo per voluntatem volentem liberè & sine antecedenti ad volendum determinatione. Vide S. Thomam hic q. 19. art. 3.

RESPONSIO III.

Voluntas divina libera est libertate contradictionis & specificationis, non libertate contrarietatis.

Prob. Nam 1. Deus habet facultatem volendi vel non volendi alia à se: potuit enim pro arbitrio velle vel non velle productionem mundi. 2. Deus habet facultatem se ipsum determinandi ad bonum aliquod, vel ad aliud, aut contrarium, aut diversum & incompossibile: potest enim pro arbitrio v. g. parcere peccatoribus, vel illos punire. 3. At non potest se ipsum determinare ad bonum vel ad malum, cum sit essentialiter impeccabilis.

Obj. 1. Voluntas manifestandi perfectiones suas, ac proinde communicandi se creaturis, est perfectio in Deo.